DE

FUNGO MEDULLARI OCULI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE V. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JACOBUS SCHAYER-ELIASON

VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. BAMBERG, MED. ET CHIRURG. DR.,
H. FRIEDBERG, MED. ET CHIRURG. CAND.,
M. JACOBY, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός·
ὅταν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ,
καὶ ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινόν ἐστιν·
ἐπὰν δὲ πονηρός ᾖ, καὶ τὸ σῶμά σου σκοτεινόν.

Luc. 11. 34. — 36.

VIRO

AMPLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DR. LUDOVICO EHRLICH,

BREGAE MEDICINAM FELICISSIME FACIENTI,

AMICO SUO

CONSUETUDINE AEQUE AC NECESSITUDINE

SIBI CONJUNCTO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Honores doctoris medicinae capturus in officio dissertatiunculae scribendae diu haesitavi, quam partem e magna disciplinarum medicarum copia elaborandam eligerem, eo tamen consilio, ne nimis trita et satis luculenter illa tractata esset, neve tironis vires superaret. Occasio quaedam exempla variolarum post vaccinationem eruptarum observandi animum in hanc rem gravissimam adduxit, et commentatiunculam de variolis per vaccinationem modificatis componere incepi. Sed postquam omnia de illa re scripta diligentius collegeram et observationes proprias adjunxeram, mox intellexi, copiam eorum nimiam et opusculum longius et copiosius evasisse ac prope fines et limites hujuscemodi operis excessisse, quapropter hoc consilium in aliud tempus differre decrevi et de re, fini et proposito meo apta, denuo incertus, modo

huc modo illuc animum intendi; nam: *dum in dubio est animus paulo momento huc vel illuc impellitur.*

Denique casus memorabilis fungi medullaris oculi ab amico *Herzberg*, doctore expertissimo, mecum communicatus (cujus exstirpationis prospere peractae historiam accuratiorem in ephemeridibus ipse tradet) animum in hunc morbum direxit, quod consilium eo libentius exsequor, quominus compositio et comparatio sententiarum et opinionum de hac nova et atrocissima aegritudine opera videatur indigna. Haec est ratio, Lector Benevole, qua hoc opusculum consideres, et ut tironis vires reputes obsecro.

INTRODUCTIO HISTORICA.

Morbus, de quo nunc quaesiturus sum, quamvis ineunte demum saeculo nostro, qui accuratiori medicorum animi intentione sit dignissimus, ab auctoribus detectus est, illustratus et propriis nominibus appellatus: hac tamen re, eundem prioribus temporibus nusquam obvenisse, nullo pacto effici potest. Imo affirmari licet, hunc morbum jam prius et exstitisse et a majoribus nostris, etsi non vere distinctum, cognitum tamen fuisse. Nam carcinomatis notio tunc temporis ambigua et dubia, hujus morbi cum nostro similitudo magis minusve conspicua, nec non plura momenta in carcinomatis bulbi, quae ex priori tempore ad nos pervenerunt, historiis descripta, quae vero secundum hodiernam nostram diagnosin ad fungum medullarem pertinent: extra omnem dubitationem ponunt, hunc morbum cum carcinomate fuisse commixtum; praesertim cum negari non possit, scirrhi et carcinomatis notionem prius nimis latam et hunc tumorem scirrho, hoc ulcus carcinomati fuisse adscriptum, quibus scirrhi et carcinomatis nec signa nec decursus proprius convenirent. Quare *S. Cooper* [1])

[1]) S. Cooper, Handbuch der Chirurgie in alphabetischer Ordnung. Art. fungus.

optime adnotasse videtur, illorum quoque infantium, in quibus illustr. *Dessault* [1]) ob carcinoma operationem instituit, plurimos (si puerilem respicias aetatem) fungo medullari laborasse.

Primus autem melius hunc morbum describere coepit eique nomen inflammationis spongiosae (spongoid inflammation) imposuit Britannicus ille auctor *Burns* [2]). Tum expertissimus *Hey* ejus rationem magis eruere et cognoscere studuit et fungum haematodem eum vocavit [3]). *G. Freer* et ille veteranus *Abernethy* accuratiorem etiam curam morbo nostro dederunt et hic nomen sarcomatis medullaris (medullar sarcome) ei tribuit [4]). Inprimis autem illustr. *Wardrop* peculiari libro egregio morbum nostrum illustrare et disquirere prospere consecutus est et sub nomine fungi haematodis eum tractavit et observationes eximias tradidit [5]). Paulo post chirurgorum Italiae princeps *Ant. Scarpa* in libro suo vulgatissimo et excellentissimo morbum nostrum maxime respexit et illustravit, nomen fungi medullaris agnoscens [6]). Eodem tempore alii Britanni de illo scripserunt, inprimis *Charles Bell* (carcinoma molle, saft cancer, eum nominans) et *Langstaff*, qui varietatem carcinomatis eum esse primi judicavere [7]).

---

[1]) Dessault Chirurgischer Nachlaß, herausgegeben von Bichat. Theil 2.

[2]) *Burns* Dissertatio on inflammation. Lond. 1800. V. II.

[3]) *Hey* Practical observations in surgery. edit. 3. London 1807.

[4]) *Freer* in chirurg. transact. V. III.
Abernethy chirurg. observat. 1804. p. 99.

[5]) Wardrop Beobachtungen über den Fungus haematodes, aus dem Englischen übersetzt von Kühn. Leipzig 1817.

[6]) *Ant. Scarpa* trattato delle principali molattie degli occhi. Edizione 5. idem. sullo scirrho e sul cancro. Milano 1821.

[7]) *Charles Bell* surgical observat. pars IV.
Langstaff in medico-surgical transact. V. VIII — IX

Praeclare autem morbus explicabatur et omnis omnium medicorum attentio in eum vertebatur, cum societas regia medica Burdigalensis praemium 400 Francorum optimae hujus rei quaestioni proposuit, quae: *e diligentissimis observationibus signa sincera et diagnostica fungi haematodis (morbi ab aliis auctoribus sub nomine tumoris vel sanguinei vel fungosi, vel spongiosi vel varicosi etc. tractati) exponeret, causas, symptomata curam et modificationes insignes ratione variorum organorum ob eo correptorum habita illustraret.* Commentatio, cui tessera: *pueris senibusque nocebit:* inscripta erat, praemio ornata et ab auctore illustr. *Maunoir*, Prof. chirurg. Genevens., postea publici juris facta est [1]). Distinctio hujus auctoris inter fungum medullarem et haematodem multis disputationibus ansam praebuit et ab hoc inde tempore haec res in multis libris tractata est; quorum praestantissimi hi fere sunt:

Dictionnaire des sciences medicales
- Art. encephaloïde (*Laennec*)
- Art. hematode (*Breschet*)
- Art. anat. patholog. (*Delpech*).

v. Walther Ueber Verhärtungen, Scirrhus, harten u. weichen Krebs, medullar sarcom, Blutschwamm und Aneurisma per Anastomosin, im Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von v. Graefe u. v. Walther. Bd. 5. Heft 2.

Boyer Traité des maladies chirurgicales. V. 2. 1814.

S. Cooper Handbuch der Chirurgie. Weimar 1820.

Chelius Handbuch der Chirurgie. Thl. 2.

Meckel Handbuch der pathologischen Anatomie. Thl. 2.

Panizza Annotazioni anatomico-chirurgiche sul fungo medullare del occhio con tre tavole. Pavia 1821.

---

[1]) *Maunoir.* Sur le fongus medullaire et hematode. Paris 1820.

Travers Synopsis of diseases of the Eye. Lond. 1820.
Saunders On diseases of the Eye. Lond. 1820.
Weller Handbuch der Augenheilkunde. Berl. 1825.
Schneider de fungo haematode. Dissert. inauguralis. Berl. 1821.
Arnold de fungo medullari. Dissert. inaug. Vratisl. 1822.
Casper de fungo medullari. Dissert. inaug. Berl. 1826.

PHAENOMENOLOGIA ET DECURSUS.

Sive plaga oculus esset afflictus sive nullum momentum noxium praegressum, saepenumero ophthalmia exigua in infantibus subito nascitur, in adultis vero plerumque vasa conjunctivae bulbi tantum implentur et oculus plus minusve rubescit; interdum ipsa iris vasibus obtecta et intexta apparet. Interea acies oculi diminuitur et hebescit, pupilla maxime dilatatur, obtutus defixus haeret et peculiarem faciem amauroticam praebet. Mox color pupillae normalis mutatus offenditur, nigrities ejus in fusco-flavidum tanquam succineum vel viridem colorem transit, quo fit, ut oculus tunc eundem fere, quem ovis aut fellis, adspectum praebeat [1]). Debilitate visus aucta, dolor in profundiore oculi parte accedit, ita tamen, ut nulla passio universalis progrediatur; color oculi magis magisque immutatur et mox massa firma et solida detegitur, quae in basi oculi orta, sensim sensimque ad corneam propulsa in conspectum venit [2]). Illa substantia apparet rugosa, inaequalis, lymphae effusae quodam-

---

[1]) *Wardrop* l. c. p. 36. 52. 71.

Scarpa auctore primum signum diagnosticum morbi est: nitor ferri laevigati in basi oculi perspiciendus et juxta eum maculae flavidae. l. c.

[2]) *Scarpa* exemplum vidit, in quo jam hoc stadio hydrophthalmus accesserat.

modo similis, et in hujus corporis opaci superficie vasa transverse extenta inveniuntur. Morbo progrediente haec massa totam cameram posteriorem oculi implet, tum denique usque ad pupillam extenditur et ut massa fusco-flavescens hic apparet. *Wardrop* [1]) quidem contendit, illam massam hoc stadio jam a nonnullis pro lente obscurata vel corpore vitreo degenerato habitam esse, quod tamen symptomatibus accuratius respectis, haud facile fieri potest.

Tum oculi forma regularis perit, bulbus magnitudine crescit, ex orbita eminet, inaequalis fit, tumulosus, gibbus; sclerotica livida, fusco-coerulea apparet, et sub his phaenomenis et doloribus vehementissimis nocte exacerbantibus, in oculo, fronte et cervice saevientibus, tumor in anteriorem cameram oculi erumpit et plerumque inter eum et corneam liquidum aliquid accumulatur, vel, ut Scarpa observabat, statim hydrops oculi ei associatur. Quo tumore in anteriorem cameram erumpente, ille latex flavidus hancce turbidam et obscuram reddit; Cornea formam priorem normalem amittit, et vel in similem massam fungosam degeneratur vel exulceratur et fungus per ulcera viam sibi aperit. Fieri tamen raro solet, ut fungus per scleroticam erumpat, conjunctivam tunicam prae se agat, et ex ea crassiori et coriacea facta, quasi involucrum membranosum sibi formet. Fungus nunc ex orbita ita prominens, ut a palpebris aegre vel nullo modo tegi possit, aegroto summis doloribus cruciato, ad ingentem magnitudinem saepe crescit et faciem aegri tanquam monstrosam reddit. Dum fungus parvus remanet, quodammodo polypis tunicarum mucosarum similis est, plerumque color ejus fusco-

---

[1]) l. c. p. 75.

rubescens quasi purpureus, flavidis et nigris maculis immixtus. Superficies ejus in lobulos, tela cellulosa inter se conjunctos, divisa, inaequalis, sanguine coagulato obtecta est, irritatione vel minima allata, vel sponte sanguis profluit, interdum tamen consistentia solidior et firmior est. Quae massa fungosa ex orbita eminens non primariam formam retinet, sed et illa et structura peculiari privata mox degeneratur.

Partes enim oculi propulsae, sicut fungus ipse, vitalitate sua destitutae, in ulcerosum et sphacelosum excidium transeunt, in crustas secernuntur, ex quibus sanies acris et putida defluit. Partes vicinae morbo afficiuntur. Orbita fit cariosa et, cerebro ipso in eandem fungosam massam degenerato, aegrotus inter convulsiones misera morte perit.

Imo saepe initio morbi partes vicinae corripiuntur, praesertim glandulae ut maxillarum, parotidis et palpebrarum vel in eandem morbosam massam mutantur vel exulcerantur.

Exploratio anatomica, vel in oculo exstirpato vel in toto corpore mortuo instituta, haec exhibuit:

prioris formae et structurae oculi ne vestigium quidem detectum, camera anterior plane destructa, lentisque crystallinae humoris aquei et corporis vitrei nihil prorsus reliquum [1]). Cornea vero, unicum si vis excipere exemplum, quo, fungo per scleroticam erupto, sanam et integram sese obtulit, semper cum ipsius oculi camera anteriore plane destructa. Inquisitione in tumorem minorem facta, choroïdea in formam sacci irregularis propulsa erat, sed in fungis majoris generis indagatis plane nullo

[1]) Ex Wardropii opinione illae partes prominente fungo e situ expulsae et pressae resorptae sunt.

modo distingui potuit, cum partim absorpta partim cum massa fungosa in substantiam homogenam dissoluta fuisset. In aliis autem casibus nullus connexus inter choroïdeam et massam ab hac inclusam fungosam adfuit, semper tamen choroïdea magis quam in statu naturali rubuit et quater vel quinquies conspissata est. Sclerotica inter omnes oculi partes structuram et texturam suam naturalem retinuit et, quamvis cum massa fungosa firme connexa, tamen quoad vasa et crassitiem incolumis apparuit. Contra retina semper desiderata, neque ullum ejus vestigium detegi potuit. Nervus opticus in plurimis exemplis consistentia solidior et durior quam in conditione naturali, coloris grisei carni similis, ambitu perspicue auctus, modo veram suam rotundam conservans modo structuram tubulosam amittens. Interdum ad latus ejus et arcte bulbo imposita eique cohaerens massa quaedam dura pisi magnitudine jacuit, fortasse glandula lymphatica vel tela cellulosa fungosa.

Disquisitio morbi anatomica si primis stadiis facta est, tum bulbi ipsius mutatio parva inventa. Tumor carnosus nervum opticum circumdedit et cum eo et sclerotica firme cohaesit. Nervus opticus crassior, solidior et in structura sua mutatus occurrit; retina vero semper in massam fungosam degenerata. Interdum tunica externa nervi optici albo colore est et cum fungo cohaeret; interna pars vero constat e molli et rara substantia, in aliis locis fusciore quam fungus in aliis calculis vesicae fellis simili.

Ultimo stadio morbi exploratione facta, nulla oculi pars nisi massa fungosa detegitur, in quam etiam conjunctiva et glandulae lacrymales mutatae sunt, nervus vero saepius integer remanet. In aliis casibus nervus plane deest et ipsum ganglion opticum (chiasma nervorum opticorum) et thalami fungosi

sunt [1]). Saepius ganglion opticum et thalami nervorum opticorum morbosi, itemque substantia adiposa late affecta in orbita iis ipsis locis obvenit, quorum directa cum oculo morboso conjunctio abest. Casus etiam observatur, quo morbus lobum dextrum anteriorem cerebri infestaverat, oculum ex orbita propulserat, ipse tamen oculus morbo immunis remanserat [2]).

Substantia autem fungi ipsius est mollis, pulti similis, aquae facile immiscenda, substantiae cerebrali non dissimilis. Morbo progrediente primam formam amittit, facile divellitur et sanguinem emittit. Constat e massa opaca, albescente, aequabili, et habet mollitiem et tenacitatem pultis, in aqua facile solvitur et, si coquas cum acidis et alcohole, durior fit et solidior. Substantia fungosa cum aqua vel lota vel compressa, partes solidiores deponuntur, quae e materia filamentosa constant, copia et densitate texturae varietates praebentes. Consistentia in variis casibus et ipsis diversis ejusdem fungi partibus, varia ostenditur, interdum non solidior quam puls e farina et lacte cocta; in aliis solidissimas partes recentissimi cerebri soliditate superavit. Nonnunquam micae arenae in tumore inventae sunt. Color et forma magnopere differunt, in plurimis exemplis cerebro similis erat, interdum vero rubrior, faciem substantiae carnosae praebens; mox fusco-cinereus, placentae vel lieni non dissimilis; quin etiam exemplum existit, ubi pars in orbita occulta et pars extra eam posita fusco-nigricantes erant et quaedam striae cinereae per massam fuscam percurrebant. Nec non in aliis corporis par-

---

1) Travers. l. c.

2) Travers. l. c. cf. *Cooper* Supplem. Art. Fungus haemat.

tibus, quam in oculo, similes destructiones sectione detegebantur, e. g. in hepate, liene, cerebro etc. [1])

DIAGNOSIS.

Cum in omnibus morborum generibus illa sententia: *qui bene distinguit, bene medebitur*: vera et probata confirmetur et curatio melius contingat, quo prius morbus cognitus sit; in morbo nostro sane laeto animo signa diagnostica primi stadii a *Wardropio* proposita legimus. Primum enim symptoma fungi haematodis oculi ex hujus auctoris opinione est mutatio pupillae coloris modo in fusco-flavidum modo in fusco-viridem, quod signum et alia ab eodem tradita facile nos in diagnosin rectam ducere valeant. Sed mox *Scarpa*, vir non minoris auctoritatis, aliud signum pathognomonicum, speciem nempe corporis, colore ferro polito [2]) similis, sistit, et jam haec auctorum gravissimorum dissentio rem ambiguam et dubiam reddit. Quo magis dolendum est, quod *Walther* [3]) noster, caetera quidem phaenomena et totum morbi decursum verum agnoscens, primi tamen stadii symptomata plane negat. Disserit vir acutissimus de hac re tali modo, ut in re tanti momenti verba ipsius proferre liceat:

Wardropio auctore

1. in profundissima posterioris camerae oculi parte inter scleroticam et choroïdeam massa fungosa et pulposa nascitur, ita, ut choroïdea propellatur nec non corpus vitreum et lens crystallina, quae partim absorpta evanescant; massa vero recens nata magis magisque antrorsum luxuriata, iris usque

---

[1]) Cf. *Wardrop*, *Meckel*, *Schneider*. ll. cc.

[2]) l. c. *Schneider* etiam signum hujuscemodi observavit. l. c.

[3]) l. c. p. 276.

ad corneam propellitur, fungus denique per corneam seu scleroticam attenuatas et ulceratas prorumpit.

2. Substantia recens nata, ut massa coerulea, viridis, grisea, opalacea jam primo morbi stadio in profundissima posterioris camerae oculi parte per pupillam maxime dilatatam perspicue et manifeste cernitur; idque morbi ipsius signum pathognomonicum.

Mihi quidem, perspici talem massam fungosam et pulposam, etiamsi adsit, omnino non probatur. Ponamus, res anatomice et pathologice sic se habere, earumque signa evidenter et vere esse allata, interpretatio tamen omni modo rejicienda est. Opacitas enim perspicua, qualiscunque sit coloris, in profundissima oculi camerae posterioris parte, sicuti illa in amaurosi et in glaucomate specie tantum non revera existeret. Massa fungosa, quae post choroïdeam et, quod *Wardropium* fugisse videtur, eandem ob causam etiam post retinam sita est, nullo modo cerni potest. Quo in casu lentem et corpus vitreum, vehementer antrorsum pressa, usquedum paullatim per resorptionem evanescant, pellucida remansura esse, num credibile est, quod, ut illa observatio locum possit habere, sit necesse? Quid? Tantus sit ille impetus, ut bulbi oculi media partim resorbeantur? Cornea in coeruleum varietur et postea, antequam perrumpatur, penitus obscuretur? Et lens crystallina corpusque vitreum pari conditione suam retineant perspicuitatem? — Equidem inprimis post bulbi violationes vehementer quassantes in posteriori oculi camera massas opalaceas in amaurosi completa et pupilla maxime dilatata vidi jacentes. Quas semper reliquas lentis resorptae et corporis vitrei obscuratas duxi, neque

in

in ullo tali affectu bulbus oculi in fungum medullarem degeneravit.

Contra in omnibus, quos novi, casibus nunquam, quomodo *Wardropius* eum descripsit, primo stadio hic morbus incipit. Semper genesis et evolutio fungi oculi longe diversa fuit, et a relata multum abhorrens. Nunquam primo hujus morbi stadio substantiam, quae vel specie micaret, in posteriore oculi camera vidi. Neque unquam aliis Germanorum ophthalmiatris hoc phaenomenon in observationum cyclo obvenisse videtur, ita, ut praeter *Wardropium* id vidisse neminem dicere ausim. In omnibus ab eo relatis, exceptis illis, quos ipse observavit, casibus hoc phaenomenon aut nullo modo notatum aut obscura tantum et incertissima momentisque gravissimis discrepante ubique ancipiti ratione adumbratum.

Quae vero in exemplis fungi oculi auctor observavit, haec fuere:

in pluribus degeneratio fungosa in tunica conjunctiva inceperat, et ita quidem, ut primum corpuscula fungosa rarefacta adessent, quae sensim sensimque in veros tumores luxuriantes transirent. Interdum, sed rarius, fungus e tuberculo quodam evolvebatur, quod, diutius minimis molestiis toleratum, excrescentiis fungosis circumdatum ulcus formabat. Imo etiam exemplum observavit, in quo fungus ingens e palpebris eminens totam superficiem bulbi anteriorem obtegens, saepe et abundanter sanguinem effundens, obiter exulcerans in conjunctiva scleroticae et corneae sola focum et radices obtinuerat, cum ceterae oculi tunicae ei subjacentes integrae remansissent. Porro fungosam degenerationem in conjunctiva ortam jam tunicas, in haemisphaerio anteriore oculi sitas, corneam, iridem, corpora ciliaria, delevisse vidit, cum partes posteriores oculi

adhuc integrae et immutatae fuissent. Denique idem auctor exemplum observavit, in quo destructio fungosa e margine palpebrarum principium sumserat et per plures annos minimae parti palpebrae superioris adhaerebat; postea autem ad tunicam internam palpebrae et ad oculum ipsum extendebatur, qui in haemisphaeriis suis plane degeneratus erat; quo exstirpato corpora degenerata, quae in orbita adhuc inveniebantur, sigillatim quoque amovenda erant. —

Tali modo auctores inter se discrepant diversaque signa morbi adnotant, ut sane suspicari liceat, utrum una eademque aegritudo ab omnibus descripta et observata sit. *Maunoir* igitur in opere suo egregio duas species illius distinguere haud dubitat, et discrimen inter fungum haematodem et medullarem proponit. Ille nempe, sicut etiam carcinoma oculi semper ab externis oculi partibus, ut a conjunctiva, carruncula lacrymali etc. procedit; medullaris vero fungus semper in basi oculi evolvi coepit. Praeterea differentiam ita constituit:

1. Digiti pressu volumen fungi haematodis admodum minuitur, neque tamen medullaris.

2. Sedes et focus fungi haematodis in cute vel tela cellulosa exteriore est; fungus vero medullaris omnium et internarum et externarum partium parenchyma occupat.

3. In fungo haematode motus vibrans vel pulsationes arteriarum sentiuntur; in fungo medullari haec non animadvertuntur.

4. Fungi medullaris parenchyma materiem offert pulposam, inorganicam, cerebri substantiae simillimam; fungus autem haematodes vere fungosus; ex vasis sanguiferis cellulisque sanguine refertis contextus, organicam potius structuram praebet.

5. Maximum tamen discrimen hoc esse dicit,

fungum haematodem morbum localem esse, in quo exstirpatio maxime prodest; fungum medullarem profecto esse morbum constitutionis, qui neque remediis pharmaceuticis neque operatione sanatur; — in illo igitur prognosis bona est, cum auxilium artis praesto sit; in hoc vero praesagium pessimum.

Sed *Maunoir*, ut *Scarpa* et *Walther* recte monuerunt, sub nomine fungi haematodis varios morbos confundit, qui secundariam quidem degenerationem fungosam induere possunt, in primaria vero forma nihil fungosae indolis habent. Ita telangectasiam, aneurisma per anastomosin, naevos etc. fungi haematodi adnumerat et signa horum morborum ab illo plane diversorum ad fungum haematodem transfert. Etenim dicit: *copiam vasorum, tela tantum cellulosa conjunctorum, ita ut massam fungosam cellis impletam forment; et has cellas, sanguine repletas, qui ex numerosis, quae in earum cavitates aperiuntur, vasis effundatur; eam esse indolem fungi haematodis.* Haec autem descriptio plane telangectasiae quidem, si in fungosum cadit characterem, convenit, neque vero illorum tumorum naturae, qui nunquam e telangectasia orti, a prima origine fungi erant, talesque a *Burns*, *Hey* et *Wardrop* designabantur. Quid? *Maunoir* nullam fungi haematodis oculi observationem ipse attulit, unde verisimile fit, hunc morbum ab eo non esse observatum. Prima enim hujus generis observatio a *Wardropio* petita est; altera vero tam imperfecta et manca apparet, ut multis quaestionibus et dubitationibus facultatem praebeat. Bulbus enim in ambitu suo erat auctus, in superficie anteriore eminens, verrucosis excrescentiis obsessus, quae interdum sanguinem emiserunt. In mediis his eminentiis loco corneae pellucidae crusta nigra insidebat, tumor paullatim disparebat et bulbus in statu victo et atrophico remanebat; morbus

ipse ex ophthalmia natus erat; auctor enim ipse addit, aegrotum paullatim omnes inflammationis gradus et dolores perpessum esse [1]). Merito igitur *Walther* hunc casum pro phlegmone ipsius oculi habet et excrescentias fungosas fuisse declarat lobulos tumidae et rarefactae conjunctivae; cum fungi haematodis oculi nullum exemplum existat, quod in atrophiam transierit.

Quodsi nunc verba *Waltheri* consideramus et descriptionem fungi oculi perpendimus, ab altera autem parte observationes et morborum historias a *Wardropio*, *Scarpa* et *Schneidero* prolatas conferimus, in quibus luteum vel aliud corpus primum in conspectum venerat; hoc modo concludere nobis liceat: fungus haematodes et medullaris unus idemque morbus est, sed, prout in alio systemate evolvitur, alia symptomata praebet. Si igitur in conjunctiva vel in aliis externis oculi partibus primam sedem suam collocat, tum phaenomena illa, qualia *Walther* tradit, primum obveniunt; sin autem in posterioribus oculi partibus, inprimis in retina, fungus radicari inceperat, tum symptomata corporis lutei vel cinerei, quod auctores observabant, non deesse solent. Hac enim ratione dissentiones et controversias auctorum in hac re opinor componi et exaequari posse.

Jam vero nunc operae pretium erit, signa tradere, quibus morbus noster ab illo morbo distinguatur, quocum facillime commutari potest et prioribus temporibus semper confusus est, cancrum dico fungosum.

1. Cancer, secundum *Travers* [2]) auctoritatem, primarie tantum conjunctivam bulbi, palpebras et glandulam lacrymalem infestat; fungus praeter

---

[1]) *Walther* l. c.

[2]) *Cooper* l. c. supplem. art. Fungus.

lentem et corneam (quae semper ab eo immunes remanent) et scleroticam, quam rarius mutat, quodcunque systema oculi primarie corripere potest.

2. Semen et fundamentum cancri est massa filamentosa, lardacea, albida, dura, firma; fungi vero massa est mollis, pulposa, cerebro non dissimilis, cinerea, elastica et fere fluctuans [1]).

3. Uterque eorum (et fungus et cancer) partes vicinas postea in eandem destructionem conducunt; sed cancer statim ab initio non limitatus occurrit, striae durae quocunque diriguntur et sic semine morbi partes vicinas imbuunt; fungus contra est limitatus, eodemque exstirpato, massa per se ipsam constat, quam tela cellulosa circumdat, quaeque a vicinis partibus disjuncta apparet; et ultimo demum stadio morbi materiem hostilem aliis partibus tribuit [2]).

4. Cancer provectiorem aetatem magis, quam teneram, infestat; fungus oculi plerumque in infantibus observatur [3]).

5. In cancro destructio organica a centro prodit, margines apparent replicatae, vulnus membrana obtectum cicatricem quasi formare videtur; fungus autem mollem putidam crustam secernit et veluti in lobos dilabitur [4]).

6. Aegroti cancro affecti habitum cachecticum quasi cancrosum prae se ferunt [5]); in prioribus

---

1) *Maunoir* l. c.

2) *Wardrop* et *Maunoir* ll. cc.

3) *Wardrop* l. c.

4) *Maunoir* l. c.

5) Cf. *Wardrop* l. c. *Walther* l. c. dicit: „Es giebt nicht nur eine eigenthümliche Krebsphysiognomie, sondern diese ist auch bei den verschiedenen Krebsen, z. B. bei dem Magenkrebs, Fruchthalterkrebs, Mastdarmkrebs, Gesichtskrebs, überall eine andere."

vero fungi stadiis facies aegroti parum mutata obvenit.

7. In cancro scirrhoso secundum *Waltherum* peculiari modo vasa praeclusa sunt, in fungo vero vasorum quasi dilatatio, parietibus eorum rarefactis, adest [1]). Ceterum sententia *Brescheti*, ex qua degeneratio utriusque generis (fungosa et cancrosa) in uno eodemque organo adesse potest, non inepta videtur [2]).

DE SEDE FUNGI OCULI.

Maximopere auctores de systemate, quod fungo primariam sedem praebet, dissentiunt. Veteres, morbo non satis perspecto, curam huic rei non dederunt. *Wardrop* [3]) cum perfectissimam retinae destructionem fungosam saepissime invenisset, focum et radicem morbi in retina quaerit et *Weller* [4]) noster, illius auctoritate nisus, morbum ipsum fungum medullarem retinae vocare non dubitat. Sed haec sententia observationibus *Waltheri* [5]) refutatur, qui fungum e conjunctiva proficiscentem vidit, neque *Traversii* [6]) probatur, qui primam degenerationem in thalamis observavit. Eadem ratione *Maunoirii* sententia [7]), qui sedem fungi medullaris in systemate nervoso, fungi autem haematodis in vasculoso posuit, a *Scarpa* repugnatur, exempla afferente, in quibus fungus medullaris in tela cellulosa et musculis haesit. Illustr. *Walther* [8]) morbum e systemate vasculoso bulbi semper prodire, neque unquam e retina et nervo optico incipere, declarat.

---

1) l. c.
2) l. c.
3) l. c.
4) l. c.
5) l. c.
6) apud *Cooper* supl. art. fungus.
7) l. c.
8) l. c.

Neque hanc opinionem observationes auctorum confirmant. Nam *Hunter* et *Travers* [1]) casus observabant, in quibus, degeneratione jamdiu in cerebro progressa, systema vasculosum nondum correptum apparuerat. *Traversii* [2]) igitur sententia mihi maxime arridet, qua fungus oculi e quocunque systemate libet bulbi prodire potest, sclerotica et lente crystallina exceptis. Secundum enim hanc sententiam omnes observationes et auctorum controversiae conjunguntur et exaequantur.

Itaque quodcunque systema prius a fungo corripitur, hoc primum destruitur et in fungum degeneratur, quo fit, ut in examine anatomico modo conjunctiva, modo nervus opticus, modo retina, modo aliae oculi partes maxime destructae reperiantur; neque ex una observatione in sedem primariam omnis cujuscunque fungi concludere licet.

AETIOLOGIA.

Ἴσμεν γὰρ οὐδὲν τρανές, ἀλλ' ἀλώμεθα.

Morborum causa proxima, quae haud raro medicos vexare solet, in aegritudine nostra non minorem quam in aliis proclivitatem et arduitatem portendit et limites ingenii humani satis arctos esse nobis exhibet. Praeter hypotheses et opiniones a veteribus de carcinomate pronuntiatas et in hoc malum quoque relatas, recentiores, qui huic morbo peculiare studium impendebant, novas de ejusdem causa proxima theorias ac sententias addere conati sunt, quas nunc percensere a proposito meo non alienum videtur.

Burns [3]) primus morbum pro inflammatione pe-

---

[1]) l. c. [2]) l. c. [3]) l. c.

culiaris indolis habuisse et nomine (spongoid inflammation) designari voluisse videtur, sed quum, ut supra jam dixi, ab initio in adultis conjunctiva solummodo aliquantum rubescat, in infantibus autem, etsi adest, admodum exigua inveniatur ophthalmia et quum, quae antecedat oculo per fungum prorsus destructo, non possit non summa esse inflammatio; non intelligi potest, cur in inflammatione causam proximam fungi medullaris ponamus, nisi inflammationis vim longius extendamus.

Freer, *Langstaff* et *Bell*, varietates carcinomatis hunc morbum esse judicantes, causam ejus non minus obscuram et absconditam declarantes, de essentia nihil alicujus momenti et pretii afferunt.

Wardrop et *Scarpa* fungum medullarem peculiarem dyscrasiam in atrocitate et letalitate carcinomati similem esse declarant; quae non tam ut explicatio essentiae fungi consideranda quam ut argumentum obscurae ejus naturae habenda est.

Maunoir primus quidem inter medullarem et haematodem fungum distinguens, de natura et essentia utriusque perspicuam et claram rationem reddere studuit et hoc fere modo disserit: „corporis humani nullus forsan humor vel systema existit, quod vel totum vel ex parte in variis tumoribus pathologicae anatomiae disquirenti subjectis non reperias. Unde colligi potest, quemcunque tumorem, in plurimis certe casibus, nihil aliud esse quam summam aberrationis et mutationis morbosae cujuscunque humoris aut systematis, quibus etsi accumulatis et in massam abnormem mutatis, qualitates tamen quaedam remaneant, quae originem eorum prodant. Hoc modo folliculus adiposus peculiari quadam, quae secretionem auget, irritatione in lipoma mutatur; simili actione vitiosa, folliculus sebaceus melicerem educit et eadem ratione origo

exostoseos et cartilaginis abnormis explicanda est. Cur igitur (auctor pergit) sanguis vel potius vasa sanguifera, cur substantia cerebralis medullae spinalis et nervorum ab hac peculiari aberratione immunis sit et ille fungo haematodi et haec fungo medullari originem non praebeant?" Fungum igitur medullarem in effusione substantiae nerveae ponit, fungos vero haematodes tales tumores judicat, qui ex vasis sanguiferis compositi et telae cellulosae conjuncti massam homogenam formant.

Quam explicationem imperfectam et falsam esse jam *Scarpa* (in epistola ad auctorem [1]) annotavit, admonens tumoribus, qui ab *Maunoirio* fungi haematodes vocantur, jam tumorum varicosorum nomen ab aliis auctoribus impositum esse, et hos tumores, quamquam e vasis arteriosis et venosis, quae extenta et inter se convoluta sint, constantes, tamen fungos non esse, quum veri fungi naturam exprimant ea, quae ab essentia naevi et a tumoribus quibusdam congenitis hujus generis plane diversa sint. Quod ad medullarem fungum attinet, Italus ille egregius pergit, sententiam *Maunoirii*, qua essentia illius fungi in mutata substantia nervosa ponenda sit, hypothesin jam ab aliis refutatam esse; saepius enim in partibus corporis externis, in musculis, in tela cellulosa fungus reperitur, qui nullo modo e nervis deduci potest. Praeterea quod interdum in regione majorum nervorum et nervi optici fungus offendatur, inde concludi non potest, nervis tantam illum procreandi facultatem inesse; neque enim forma, consistentia, odor etc. sufficiunt, ut talem opinionem assumamus.

---

[1]) Quae epistola libro *Maunoirii*, supra commemorato adjecta est.

Praeter has rationes *Scarpae* multa alia ad hypothesin *Maunoirii* tollendam *Walther* noster addit.

1. Nunquam et nusquam fungus medullaris reperitur, qui e sola vera vel spuria substantia pulposa et nervosa constet; semper enim juxta hanc aliud illud cruentum, lieni simile, gignitur, quod maximam tumoris partem implet.

2. Formatio substantiae cruentae a *Maunoirio* e ruptis et per ulcerationem corosis vasis mechanico modo deducta sane sufficiat ad ortum coaguli declarandum; sed quis probet, corpora cruenta, in parenchymate fungi medullaris et haematodis formata, coagula simplicia (coagulato sanguine orta) esse? Semper enim illam substantiam auctores cum liene vel placenta comparant, num etiam placenta et lien coagula sanguinis sunt?

3. Ut deinde aliam hypothesin *Maunoirii* de genesi fungi medullaris, eum a nervis esse productum, refellamus, animadvertendum est, in nullis organis fungosam substantiam cerebro tali modo similem offendi, quam in fungis ossium ab *A. Cooper exostosis fungosa membranae medullaris* vocatis, in quibus nemo sane genuinam nervorum substantiam agnoscet.

4. Si porro *Maunoir* ad sententiam suam confirmandam eo procedit, ut neuromata huc afferat eaque cum fungo medullari commutet, *Walther* huic opinioni contradicit:

A. Neuromata ipsa parum nota neque eorum essentiam et peculiaritatem ita disquisitas esse, ut aliquid certi de iis judicare possimus.

B. Eadem ex causa, si iis ad fungi medullaris essentiam declarandam utimur, hoc nihil aliud esse, quam rem obscuram alia re obscuriore illustrare.

C. Neuromata secundum observationes, quae exstant, non naturae et indolis consentaneae fuisse,

sed maximam varietatem in genesi, decursu et structura exhibuisse.

D. Denique maximam partem neuromatum adhuc observatorum et descriptorum, ne minimam quidem affinitatem cum fungo medullari praebuisse; plura eorum producta fuisse ab inflammatione neurilematis locali, neque in constitutionem universalem reegisse; fungum vero semper constitutionem infestare et postremo organismum destruere.

Ceteri Galli fungi distinctione longius excedunt, formamque et colorem nimis respicientes divisiones et genera ejus varia sistunt. *Breschet*, qui fungum medullarem (lesion organique) morbum sui generis vocat, has classes ponit.

1. *Carcinome encephaloïde ou cerebriforme*, cum substantia pulposa cerebrali simili.

2. *Carcinome melané*, cum massa nigra tuberculosa.

3. *Carcinome hematode*, est coagulatio sanguinea, lieni et placentae similis.

4. *Carcinome fungoïde* cum substantia fungosa ex lobis composita.

Contra *Laennec* varietates consistentiae et coloris in tempore, quo fungum disquirimus, ponit; principio, ait, tumore adhuc parvo, substantia est quodammodo cerebriformis; tum major evadit et sanguine extravasato impleta apparet; deinde rubrior vel nigra fit et aliam faciem prae se fert.

Sed et hi auctores morbos eos fungis adnumerant, qui revera non fungi sunt, praeterea nimis substantiae formam, colorem etc. respiciunt; quae res ob inconstantiam non tanti momenti esse debent; ceterum varietatem carcinomatis fungum aestimantes, ad essentiam ejus declarandam nihil protulisse videntur.

Vir maxime venerandus illustr. *Kluge* fungum

medullarem a morbis degenerationis disjungens et parasitarum generi adnumerans, opinionem suam his argumentis probare studet [1]). Fungus medullaris correpti organi volumen quadruplo auget; quod in degeneratione non animadvertitur. Tum vis vegetativa huic luxuriationi propria majorem assequitur gradum quam in degeneratione, quippe quae partis degeneratae volumine accrescente minuitur, planeque exstingueretur, nisi ceterarum partium viribus vitalibus nutritionem detraheret; deinde fungus medullaris ex omnium parasitarum more vitam a cetero organismo plane sejunctam degit, quod e copia vasorum in eo ramifactorum elucet. Ex typo igitur primario, quem natura in procreandis parasitis observat, etiam fungus exoritur e partibus vi vitali minore imbutis, neque vero e nervorum substantia ipsa, ut *Maunoir* contendit, sed e vagina nervos investiente producitur. E neurilemate igitur membrana mucosa vasis multis instructa, si ictu, pressu aliove irritamento tam externo quam interno incitetur, materies illa cerebriformis, quae fungi medullarem substantiam efficit, secernitur et deponitur. Sed auctoris acutissimi hypothesis ingeniosa plurimis exemplis fungi medullaris, ab auctoribus traditis, refellitur.

1. Nam si prima degeneratio in neurilemate adesset, semper hoc esse affectum deberet, exempla vero multa existunt, in quibus nervus opticus degeneratus fuerat, neque neurilema correptum.

2. Argumenta *Scarpae* et *Waltheri* contra *Maunoirium* allata, quae supra memoravi, saepius nempe in musculis etc. fungum medullarem reperiri, hanc hypothesin non minus quam illam refutant.

3. Panizza casum observavit, in quo inter va-

---

[1]) Cf. *Casper* p. 13.

ginam nervi et nervum ipsum fungus aderat, nervus vero et vagina haud degenerabantur, quo perspicue arguitur, neque nervum ipsum neque neurilema ad fungum formandum attulisse [1]).

Walther igitur et *Meckel* [2]) et fungum haematodem et encephaloïdem et mellanosin varietates fungi medullaris esse judicant, quarum distinctiones eo difficiliores fiunt, cum e consistentia, colore et similitudine massae cum quibusdam systematibus deducantur, quae discrimina partim e stadio morbi partim e constitutione subjecti et aliis rebus fortuitis dependunt neque tanti momenti esse possunt. Contendit igitur *Walther*, fungum e systemate vasculoso et celluloso prodire neque ejus explicationem geneseos tam difficilem esse, si haec momenta rite perspiciantur.

1. Sanguinem esse fluidum vivum.

2. Formationem sanguinis formationi vasorum praecedere, imo hanc ilius esse processum accessorium illamque subsequentem.

3. In sanguine solvendo partes duas inprimis occurrere, in quarum altera rubrae substantiae, cruentae, fibrosae obveniant; in altera autem materies albida, albuminosa, pulposa.

Itaque substantia primaria quasi matricalis in haematode et medullari fungo eadem est et e tela cellulosa et partim ex extentis partim e recenter genitis vasis constat; sed huic associatur massa parenchymatosa e solutione sanguinis procreata et haec in fungo haematode est indolis cruentae et fibrosae, in medullari inprimis albuminosi generis. Sicut igitur plurimae pseudoorganisationes, ita etiam fungus non mutatione, alienatione et degeneratione substantiae naturalis cujusdam organi oritur, sed ut

[1]) l. c. [2]) l. c.

novum ejus productum, quod veluti stirps aliena in eo crescit, et evolutionem et nutritionem organi mechanica ratione turbans, idque erumpens tandem in conspectum venit. Formatio et evolutio vasculosa anomala et simul cum ea degeneratio materiei cellulosae, morbosa secretio, et productio spuria assidua in secreta materia, factores tanquam hujus processus sunt. Quamdiu igitur hic nisus in minore gradu permanet, auxiliis artis tollendus est, si vero majorem gradum consecutus in totam constitutionem dirigit actionem hostilem, tum organismum subruit et perdit.

Quum igitur ad hodiernam usque diem principes Medicorum certent,

et adhuc sub judice lis sit;

equidem pro virili mea parte varias eorum sententias enixe enumerare conatus sum; sed rem ipsam tam dubiam evidenter decernere, nimis arduum est.

Ad causas remotas fungum procreantes quae attinent:

A. Causae disponentes sunt inprimis aetas puerilis; nam in omnibus casibus, a *Wardropio* observatis, aegroti aetate tenera adhuc vixerunt, neque alii auctores dissentiunt, fungum oculi infantes saepius quam adultos corripere. Tum etiam scrofula accusatur, quod *Wedemeyerii* [1]) aliorumque experientia confirmare videtur.

Ceterum *Walther* recte disserit, omnes morbos in processu organico-plastico formativo insitos, si ad majorem gradum advenissent, ut dyscrasia syphilitica et psorica etc. corruptionem humorum hujus generis adducere posse.

B. Causae occasionales saepius quidem observantur, e. g. ictus, pressus etc. sed saepissime aegri-

---

[1]) Medizin.-chirurgische Beobachtungen u. Bemerkungen in Rust's Magazin f. d. ges. Heilk. Bd. 13. St. 1.

tudo sponte absque irritamento praegresso evolvitur; neque ulla res externa accusanda est.

PROGNOSIS.

Cum fungum oculi ut morbum in profundiore organismi radice insitum et lente eum suffodientem designaverimus, jam ex analogia quisque male praesagiet. Nondum enim remedia ea arti praesto sunt, quae certo quodam modo totam mixturam humorum pravam et laxitatem solidorum corrigere possint. Neque etiam unum exemplum apud Auctores invenitur, in quo vel medela medica vel chirurgica prospere instituta sit. Omnes fere scriptores de letalitate et malignitate ejus consentiunt. *Maunoir* elegantissimis verbis malignitatem exprimit. „Le fongus medullaire est sans doute une des plus terribles maladies auxquelles le corps humain est exposé et fait à la fois le desespoir du malade et du médécin. Il commence par degrés imperceptibles; sa marche est ensuite tellement perfide, je dirai presque tellement mysterieuse, que souvent le malade est dejà perdu sans ressources avant que le danger de sa situation ait été soupçonné. L'homme de l'art en examinant une tumeur qui souvent n'est ni douloureuse ni même incommode se trouve dans la penible obligation de declarer l'indispensable necessité d'une operation, jougement qui ne peut manquer de paroître au malade et à ses amis aussi deraisonable que prématuré. Malheureusement il y a plus quand nous consultons les faits pour nous diriger dans nôtre pronostic, nous avons la douleur de ne pouvoir promettre avec sureté un resultat heureux d'une amputation ou d'une exstirpation, alors même qu'elles ou n'aient été prâtiquées de bonne heure."

At is fungus oculi, qui in externis hujus parti-

bus sedem collocavit, praesagium quodammodo melius admittit; cum spes aliqua nobis adsit, fungo ex organismi limitibus amoto, etiam corpus, adhuc integrum neque affectum, convalescere posse. Fungus autem internarum partium, inprimis retinae qualem *Wardrop* et alii auctores observarunt, semper letalis et insanabilis erat et curam diligentissimam medicam et chirurgicam illusit et frustratus est.

CURATIO.

Jam Aetiologia, quae aegritudinem nostram inter eas, quae intima vitae receptacula et radices invadunt, posuit, satis perspicue difficultatem hujus morbi sanandi arguit: prognoseos expositione praecedente periculum et perniciositatem ejus clarius in lucem ponere conati sumus; et sane dolendum est, si exigua imo nulla artis auxilia ad hunc morbum debellandum adesse videmus. Quid de pharmaceuticis remediis dicam, cum illa medela heroïca malum, ut ita dicam, cum radice exstirpans, securitatem curationis non praebeat? — Remedia igitur ad eum penitus curandum ab auctoribus fere nulla notata sunt. *Weller* quidem, se ope remediorum antiscrophulosorum, inprimis Hydrarg. muriat. mit. terminasse et cohibuisse contendit. Sed si signorum fallaciam et incertitudinem fungi medullaris retinae (quam se observasse confirmat) perpendimus, sane jure dubitare licet, num ille casus ab auctore observatus, merus et verus fungus medullaris fuerit, an potius sensus observatorem deceperint. Si quod auxilium existit, haud dubie exstirpatio oculi et cujuscunque degeneratae partis hocce praebet. Quae quidem, quo magis externis oculi partibus inhaeret fungus, et quo maturius eo prosperiore eventu instituitur. Sed ipsa difficultas diagnoseos maturiorem

et

et utilem opem impedit; neque aegrotus prius medicum consulere, neque medicus morbum prius recte et rite cognoscere solet, quam medela frustranea et inutilis facta est. Tum autem officium acerbum et austerum medici est, dolores aegroti remediis anodynis et narcoticis lenire, id est, curam quam dicunt palliativam in usum vocare. Attingimus vero hanc viam et externis et internis remediis.

A. Externe igitur, prout conditio morbi exigit, adhibeantur hirudines, lotio saturnina, cataplasmata emollientia et sopientia, Emplast. opiat. Infus. Belladonn. etc.

B. Interne omnes fere opii usum maxime laudant; sed *Maunoir* egregiam Bellad. utilitatem celebrat, nec alii Extract. Hyosc., lactuc. viros. etc. dejiciunt. Quibus medicaminibus levamen quoddam aegro afferimus, quem tristi animo miserae morti appropinquari videmus.

CURRICULUM VITAE,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego *Jacobus Schayer-Eliason*, fidei mosaicae addictus, die XIX. Octobris anni MDCCCII patre optimo *Valentino Schayer-Eliason*, matre diligentissima *Carolina*, e gente *Schayer*, quam praematura morte jam ereptam lugeo, Vratislaviae natus sum. Prima elementa in literis plurium ludorum privatorum de me meritorum curae debeo; anno autem XV. aetatis meae Gymnasium adii quod, a St. Maria Magdalena nuncupatum, tunc temporis sub auspiciis beati *Manso* florebat. Saepissime vero variis molestiis conflictatus praeceptoribus ducibus domi me privatis studiis imbuere coactus fui. Maturitatis testimonio instructus, die XXI. m. April. MDCCCXXII. ab illustr. *Henrico Steffens* t. t. Rectore Magnifico numero civium academicorum et a viro illustr. Professore *Treviranо* t. t. Decano spectabili, medicinae studiosorum sum adscriptus. Ex quo inde tempore in hac alma sede literarum his praelectionibus interfui: Cel. *Trevirani* de botanices elementis, Cel. *Steffens* de hodegetice, Cel. *Gravenhorst* de zoologia, Cel. *Henschel* de historia artis medicae de pathologia morborum acutorum speciali et de plantis officinalibus, Cel. *Hünefeld* de anthropochemia et pharmaciae elementis, Cel. *Fischer* de chemia universali, pharmaceutica nec non de corpo-

ribus reagentibus, Cel. *Klose* de pathologia generali, et de diaeta, Cel. *Lichtenstaedt* de encyclopaedia medica, Cel. *Otto* de anatomia theoretica, practica, pathologica et comparativa de historia foetus et zoologia, Cel. *Purkinje* de physiologia corporis humani, Cel. *Remer* de therapia generali ac speciali et de arte formulas medicas rite concinnandi, Cel. *Wendt* de infantium morbis, lue venerea, materia medica, toxicologia et de aquis Germaniae medicatis. Tribus annis praeterlapsis Berolinum me contuli, ubi, a viris spectatissimis illustr. *Rudolphi* t. t. fasces academicos tenente et Illustr. *Link* t. t. Ordinis Gratiosi Medicorum Decano spectabili die III. mens. Maji MDCCCXXV. denuo civium numero academicorum adscriptus, interpretationes Cel. *Rust* de chirurgia Cel. *de Siebold* de theoretica artis obstetriciae parte beati, *Berends* de Hippocratis aphorismis frequentavi. Ad clinicen medicam et chirurgicam illustr. *Berends*, *Neumann* et *Rust* me instituerunt.

Tentamine et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Variolae, Varicellae, nec non Varioloïdes ex uno eodemque contagio originem ducunt.

II.

Existere potest inflammatio in corpore asthenia laborante; ipsa verum inflammatio nunquam asthenica.

III.

Omnes morbi sunt locales.